Kraft, Richard Aug.
Berlin

DE MALO POTTII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RICHARDUS AUGUSTUS KRAFT
SAXOBORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
R. BORN, med. et chir. Dd.
O. KUPKE, med. et chir. Dd.
G. HINZ, med. et chir. Stud.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

DE MALO POTTII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIX. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICHARDUS AUGUSTUS KRAFT

SAXOBORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

R. BORN, med. et chir. Dd.

O. KUPKE, med. et chir. Dd.

G. HINZ, med. et chir. Stud.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

D I L E C T I S S I M O

AUG. CHRIST. KRAFT

MED. ET CHIR. DOCTORI

ET

AVUNCULO

C A R I S S I M O

FRID. CAR. KRAFT

PROFESSORI ATQUE DIRECTORI JOHANNEI
HAMBURGENSIS

NEC NON

PRAECEPTORI

MAXIME REVERENDO

AUGUSTO ANTON

PROFESSORI ATQUE RECTORI SCHOLAE ROSLEBIENSIS

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Spondylarthrocace, spondylopyosis, tuberculosis vertebrarum cyphosis paralytica, malum Pottii sunt nomina diversa, quae eidem morbo medici imposuerunt. Medio demum saeculo superiore de causa hujus morbi aetati puerili periculosissimi lux desiderabatur, unde factum est, ut Pott, quo auctore etiam morbus malum Pottii nominabatur, primus existeret, qui nostro morbo accuratius explorando studebat. Proximo tempore pluribus medicis, praecipue Delpech, Nelaton, Nichet id debetur, quod diligentes atque exactas de morbi illius causa quaestiones instituerunt.

Spondylarthrocace designatur suppuratio ossium columnae vertebrarum, plerumque conjuncta cum magis minusve magna destructione vicinarum partium mollium atque plerisque in casibus tuberculis ossibus insertis provocata. Saepissime vertebrae dorsi afficiuntur hoc malo, cujus symptomata mihi nunc accuratius sunt describenda.

SYMPTOMATA.

Primo tempore symptomata sunt obscura, quod dolores dorsales, quos aegroti queruntur, rheumatismo, aut lapsui fortuito tribuuntur; aut quod aegroti sunt infantes, qui statum suum parum explicare, nec dolores praesentes prodere possunt; aut quod symptomata sunt tam parva, ut dislocatis demum vertebris malum cognoscatur. Plerumque vero fixo loco queruntur aegroti dolores hebetes, neque pressu facto augescentes, attamen quibusdam columnae dorsalis motionibus prodeuntes, fatigationem, dum eunt, atque sensum pedum quasi debilitatorum. Simul status erectus facessit aegrotis molestias, dum status planus illas non efficit. Potissimum infantes tum ingredientes, tum sedentes adminiculum manibus captant, nisi aut latere, aut femore. Plerisque autem in casibus aegroti dolorem in cordis scrobiculo fixum accusant, quo a loco is propagatur ad medullam spinalem; porro infantes conqueruntur alvi dolores et accrescentes et decrescentes, ita ut credas, aut helminthiasin, aut alium morbum intestinalem adesse. Qui dolores eo sunt insignes, quod remittunt, nec semper adsunt; quod abdomen manu pressum dolores neque provocat, neque auget. Multis in casibus salus communis aegroti omnino non est perturbata, dum alii infantes fiunt imbecilles atque debiles, animum timidum atque depressum ostentantes. Appetitus statui atonico

apparatus digestionis respondens non sufficit. Lex exaequationis communis inter assimilationem, absorptionem atque secretionem, uti color faciei pallidus atque exsanguis ostendit, laesa est; pulsus est debilis, urina continet multos sales phosphoricos, qui ab organis assimilationis ossibus morbosis non inseruntur.

Quo in stadio si columna vertebrarum accuratius disquiritur, nihil a norma recedens detegi potest. Processus spinosi recta in linea sunt locati, quemadmodum apud sanos homines, atque pollice pressi aut nullos, aut maxime certe exiguos dolores exhibent; rubor cutis non adest, ita ut ad omnia symptomata spectans atque diathesin scrophulosam conspiciens malum Pottii fortasse suspiceris, nunquam tamen dignoscere certo possis. Ubi molestiae paullatim accrescunt atque debilitas dorsi augetur, ita ut hoc magis curvum sustentetur; ubi porro fatigatio ac gravedo et in sedendo et in ingrediendo sensim sensimque multo majores existunt; ubi praeterea aegrotus interdum pedes raptim movet, aut sensum in pedibus quasi torpentibus atque lentis percipit ac modo situ plano praecipue in abdomine elevatum se sentit, tum morbus in stadium secundum transit.

Meninges medullae spinalis, purulenta vertebrarum destructione atque compressione irritatae, statum adducunt febrilem, nullam ciborum appetentiam atque salutem communem imminutam. Ille locus morbosus pollice pressus dolores provocat vehementes, qui, prout columna vertebrarum aut in superiore, aut in inferiore

parte est affecta, ad organa varia propagantur, ibi sensus injucundos proferentes. Quin etiam aegroto irritabili atque sensibili isto pressu nascuntur convulsiones. Sensus torpiditatis atque formicationis crescit atque passim symptoma est molestissimum. Serius ocius etiam animadvertis, processum spinosum singularum, aut plurium vertebrarum post tergum pelli atque curvaturam producere columnae vertebrarum. Nunc quidem diagnosis est certa. Si curvatura exstitit, magis magisque increscit atque postremo post tergum angulum acutum conformat. Adest periodus aegrotorum miserabilium molestissima. Facies aegrotorum est speculum summae trepidationis atque unoquoque appropinquante praecipue infantes magna voce clamant, eum ipsos tacturum doloresque paraturum esse credentes. Loco morboso etiam conspicitur intumescentia partium mollium; tactus quisque minimus, aut motus columnae vertebrarum dolores vehementes concitat atque contractiones spasmodicas musculorum, praesertim qui extremitatibus inferioribus sunt affixi. Itaque miseri illi homines, ut quam quietissimum situm praecipue in abdomine obtineant, valde nituntur. Quod ad tempus nervi ab illo loco exeuntes facultatem producendi etiam servant atque medulla spinalis ipsa incolumis existit. At quo magis vertebrarum curvatura post tergum excedentium comparet, tanto magis etiam medulla atque nervi inde exeuntes comprimuntur. Itaque serius ocius symptomata paralytica prodeunt; faeces atque urina ab aegroto invito exonerantur; pedes magis minusve debilitantur, ita ut mobi-

litas admodum exigua fiat: porro pedes non usurpati propter hanc causam emacescunt, panniculus adiposus evanescit, musculi tabescunt atque pinguescunt, digestione sublata, ita ut dolores atque molestiae appareant in ventriculo. Paullatim febris hectica oritur simul cum diarrhoeis, nulla ciborum appetentia atque universali defatigatione. Subito infra ligamentum Poupartii, aut infra scapulam, aut prope anum manifesta symptomata abscessus congestionis manifestantur. Pus ex loco morboso secundum vertebrarum columnam in tela cellulosa viam sibi paravit usque ad pelvim parvam, unde quasi abscessus frigidus telam atque cutem removet atque evacuat. Pus, nisi demergitur, aut perforat pleuram, cavum mediastinum, peritonaeum, inflammationem gignens plerisque in casibus letalem; aut resorbetur atque illa periculosissima pyaemia exoritur, quae paene semper aegrotum consumit.

Decursus morbi etiam ostendit variationes ab his symptomatibus descriptis abhorrentes; passim invenitur curvatura magna, priusquam oriuntur dolores; alibi destructionem purulentam vertebrarum una cum abscessu congestionis reperis, quin curvatura adsit. Interdum malum lenissimum cernitur atque sine magnis molestiis usque ad immensum gradum evolvitur.

Quod initium morbi attinet, auctores magnopere dissentiunt. Pott ait: „Die primäre oder einzige Ursache des ganzen Uebels ist eine zerrüttete Beschaffenheit der Theile, welche das Rückgrat bilden, oder mit demselben im unmittelbaren Zusammenhange stehen und

welche sehr häufig in Caries eines oder mehrerer Wirbel endigt." Brodie malum Pottii existimat inflammationem, quae exeat ex cartilaginibus intervertebralibus. Dzondi inflammationem exire censet ex aliis ligamentis atque tum propagari ad corpora vertebrarum. Alii, ut M. Jaeger, Stromeyer, causam suppurationis cariosae constare volunt in inflammatione vertebrarum corporum, quae transeat in suppurationem. Insuper alii, uti Delpech, Nelaton, Chelius, Nichet tubercula inseri corporibus vertebrarum autumant, quae purulente molliantur. Contemplantes singulas opiniones sententia Pottiana ad causam suppurationis ossium detegendam minime adducimur. Quod ad placitum Brodianum attinet, id non minus rejiciendum arbitramur. Nam primum patet, telae cartilagineae esse paene nulla vasa sanguifera ideoque eam ab inflammatione abhorrere. Quae res etiam consentit cum eo, quod per anatomiam pathologicam invenitur in spondylarthrocace. Tum multis in casibus vertebrarum corpora plane detrita sunt suppuratione, quin cartilagines sint deletae intervertebrales. Porro scrophulosin constat, quae paene unica causa mali nostri sit, exceptis glandulis lymphaticis maxime solere in ossibus spongiosis sedem occupare. Magis vero recondita est disquisitio, num morbus constet in simplici inflammatione, quae suppuratione finiatur, an materia tuberculosa ossibus inserta provocetur. Nobis quidem spondylarthrocacen reputantibus plerumque puerili aetate et quidem cum scrophulosi complicatam inveniri, tum suppurationem ossium, causa aut trauma-

tica, aut rheumatica provocatam, minime reperiri in ossibus columnae vertebralis, neque minus saepe in obductionibus talium cadaverum tuberculosam dissolutionem deprehendi, nobis, inquam, maxime verisimile videtur, puerili aetate omnibus in casibus diathesin scrophulosam causam esse primariam. Ergo M. Jaeger formam morbi tuberculosam reprobans perverse judicat.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Uti supra jam dictum, forma spondylarthrocaces tuberculosa praecipue in vertebris dorsalibus invenitur. Sicut omnino in ossibus, tuberculorum, ut Nelaton et Nichet ajunt, etiam in vertebris duae formae reperiuntur: primum tuberculum saccatum. Initio in superficie ossis animadvertis aut loca violacea atque marmoracea, quae vasis sanguiferis sunt ditiora, aut leves allevationes, sub quibus locus latet morbosus. Inter telam ossis spongiosam reperis primitus non plane pellucidas raras, agglomeratas vero ravas granulationes, quibus crescentibus evanescunt discrimina ossea. Tubercula adhuc rara confluunt membrana circumdata, quae initio gelatinosa est atque transparet, tum vero multo majorem firmitatem obtinet. Nunc tuberculum habemus crudum membrana circumdatum, quod nondum est emollitum. Interiore in superficie membranae ru-

bor rosaceus prolatus est per rete vasorum sanguiferorum.

Tuberculo paullatim crescente processus dissolutionis aut a centro, aut a peripheria incipit. Materia emollita existit abscessus verus, qui viam ad partes externas sibi parare tendens corpus vertebrae sensim sensimque usque ad tegumen ossium tenue reducit, quod pure perforatur. Qua ex causa curvatura prodit vertebrarum, quae plus minusve celeriter sese manifestat. Tum aut sanatio insequitur, cavo granulationibus expleto, aut, quod plerumque accidit, pus liquidum et floccosum demergitur atque hoc modo abscessus congestionis procreat variis corporis locis apparentes. Sententia, quamtulit Nelaton, ex recentioribus disquisitionibus ideo est corrigenda, membranam non esse cystam, sed tantum eventum hyperaemiae tubercula efficientis.

Secunda forma multo periculosior est illa infiltrationis tuberculosae, quae initio non plane pellucida atque inter cellas ossium spongiosorum est inserta. Quisque locus infiltratus circulo vasorum sanguiferorum circumdatus est, qui firme adhaeret cellis ossium, quin structura ossium sit mutata. Paullatim vero materia inter cellas ossium infiltrata fit opaca atque colorem accipit flavum. Primitus tota massa est firma, sensim fit mollior atque vasa sanguifera amittit. Exitus processus nutritionis impediti est necrosis atque sequestratio, quae in partibus singulis ossium reliquiarum decutiendis constat. Illa infiltratio primum non ani-

madvertitur, quia vertebrae non commutantur, quod ad formam et consistentiam pertinet. Infiltratio autem purulenta etiam progreditur usque ad cartilagines intervertebrales, quae in processum dissolutionis deducuntur ideoque etiam deteruntur. Qua de causa vertebrae tuberculosae se tangunt. Sic paullatim curvatura non valde prominens gignitur. Quae forma inprimis est periculosa, quod partes sequestratae, quae moveri non possunt, suppurationem producunt continuam, quare etiam hanc formam sanare non licet. Serius ocius hic quoque oriuntur congestionis abscessus.

Praeter has vertebrarum mutationes in obductionibus perturbationem invenimus secundariam partium mollium vicinarum, suppuratione provocatam in tela cellulosa se propagante; porro in canali spinali pus atque materiam tuberculosam in meningibus spinalibus. Medulla ipsa processu inflammatorio emollita atque commutata in pultem cernitur, in qua nervorum fibrillas non amplius recognoscere possumus. Quae mutatio tamen non semper obvia est. Meninges ipsae paene ubique sunt injectae atque condensatae. Plerisque in casibus tuberculosis pulmonum reperitur; porro glandulis mesenterii circa bronchos atque cervicis lymphaticis materia scrophulosa inserta est.

AETIOLOGIA.

Quod ad aetiologiam attinet, propemodum omnes, qui tempore recentissimo hac de re instituerunt disquisitiones, consentiunt, scrophulosin paene solam causam esse. Itaque plurimi quoque aegroti sunt infantes diathesi scrophulosa affecti, cujus symptomata jam aliis in organis se ostenderunt. Si signa scrophulosa non sunt animadversa, laesiones externa vi factae, ut contusio, distortio, fractura vertebrarum occasionalem tantum causam exhibebant, ut eo ipso loco processus tuberculosus exoriretur. Diathesis scrophulosa hucusque latens apparet, quibusdam morbis puerili aetati propriis peractis, magna cum celeritate, nec raro columnam vertebrarum corripit. Qui morbi sunt tussis convulsiva atque praecipue exanthemata acuta. Adulti homines perraro hoc malo afficiuntur, ita ut Pott ipse nullum exemplum de hominibus, qui excesserant annum aetatis quadragesimum, animadverterit. Masturbatio causis primis vulgo adscripta atque rheumatismus in adolescentibus ad tuberculosin excolendam disponere dicuntur; Sanson adeo contendit, quod quidem falsum atque absurdum est, omnes malo Pottii affectos vitio masturbationis se dedidisse.

DECURSUS ATQUE EXITUS.

Plerumque decursus morbi retardatur. Itaque nostri aegroti, nisi morbo intercurrente consumuntur, vitam lecto alligati et sibi et aliis oneri degunt, decubitu afficiuntur atque postremo febri hectica moriuntur. Sanatio tantum fieri potest, si morbi prima initia cognoscuntur, cura forti. At etiam quando tubercula in vertebris sunt mollita atque detritus purulentus invenitur, sanatio interdum evenit, quia inflammatione reactiva partium circumsitarum paratur exsudatio, cui callus atque tum materia ossea inseritur, quae vertebras proximas conjungit atque ancylosin conformat veram. Haec quidem sanatio tantum in tuberculo saccato obvenit, dum in infiltratione tuberculosa valetudo revocari non potest. Deformitas vertebrarum, si jam est adducta, remanet; intumescentia mollium partium vero diminuitur, adeo paralysis pressu provocata interdum cessat. At saepe paraplegia extremitatum inferiorum residet, quae reliquiae non sunt sanabiles. Sanatione effecta aegroti initio valde cavent, ne aut motu imprudenti, aut lapsu frangantur ligamenta ossea.

Frequentior est exitus in mortem. Aegroti sensim conficiuntur febri hectica, aut repente perforatione puris in cavum thoracis vel abdominis, aut tuberculose acuta; imo etiam accidit, ut aorta, processu inflammatorio affixa columnae vertebrarum, corroderetur at-

que aegrotum haemorrhagia non supprimenda consumeret.

DIAGNOSIS.

Diagnosin nobis est concedendum multis in casibus atque potissimum morbo ineunte, ubi neque curvatura, nec vertebrarum dislocatio adest, esse difficillimam. Adulti quidem possunt dolores, si exstant, cursum et fortasse etiam causas enarrare; attamen multo frequentior est morbus apud infantes, qui saepe nec currere, neque loqui possunt. Porro multi parentes initio hunc statum negligunt, pro debilitate pedum habentes, aut ictui aut alii tribuunt causae atque tum demum invitant medicum, quando jam curvatura aperta est. Ubi status morbosus explorandus est atque de conjicienda columna vertebrarum morbosa agitur, aegrotum ponas extensum in loco plano duroque et quaeras, num processus spinosi sint collocati una in linea, nec minus respicias, saepe columnam vertebrarum mediam hominibus sanis paullum declinare in latus sinistrum. Porro videas, num processus spinosi singuli plus minusve promineant; num loci depressi juxta columnam vertebrarum exstent, an jam prominentia musculorum sacrolumbalium sive in uno, sive in altero latere sit conspicienda, quia, priusquam mutatio directionis processuum spinosorum apparet, illa prominentia

existit atque futuram vertebrarum curvaturam indicat. Tum explores, num vertebris pollice pressis dolores oriantur, atque animum ad dolores aliis in organis obvios advertas. Cui periodo sunt proprii dolores in alvo, praecipue in scrobiculo cordis; dolor est accedens et remittens atque praesertim sentitur, simulatque vertebrae morbosae pollice premuntur. Copland spongiam in aquam tepidam immersam et expressam vult circum processus spinosos circumduci atque sic sedem morbi, quia major sit cutis nervorum in loco affecto irritabilitas, aucta ustione discerni. Stiebel suadet, ut balnea tepida, vel balnea e cinere clavellato parata adhibeantur, quo modo sensibilitate aucta locus affectus cognoscatur. Si symptomata antea relata junxeris cum diathesi scrophulosa atque summa ex disquisitionibus redundante, de malo Pottii conjecturam facias, priusquam vertebrae sunt dislocatae. Si vero curvatura est facta et functiones interruptas cum hac dislocatione apparentes addideris, tum alius morbus statui nequit. Ergo sunt symptomata notatu dignissima: dolor fixus in columna vertebrarum, dolor in cordis scrobiculo et alvo, dislocatio processuum spinosorum atque curvatura columnae; porro convulsiones, paralysis extremitatum, vesicae, recti, abscessus congestionis, febris hectica variaque symptomata diathesis scrophulosae.

PROGNOSIS.

Prognosin omnino non laetam esse ex iis jam patet, quae supra disputavimus. Si initio malum cognoscimus cognitoque fortiter resistimus, tum sanationem sperare possumus. Nec infausta prognosis est, simulatque paralysis, febris hectica, canales fistulosi desunt, quamquam sunt exempla, quae etiam cum allatis modo symptomatibus sanabantur. Quo plura vero comparent symptomata nervosa, quo diutius eadem permanent, quo altius scrophulosis radices suas egit, quo magis continua febris hectica est, eo infaustior, si non letalis, prognosis existit. Adultis ceterum hominibus hic morbus periculosior esse dicitur quam aetati puerili.

CURA.

Cura est prophylactica atque causalis et directa. Quod ad prophylacticam spectat curam, a prima aetate, quantum potes, infantem suspectum observes. Praecipue nocet maturus infantium cursus. Saepissime hoc ipso tempore cyphosin apparere videmus, quin dyscrasia scrophulosa ostendat symptomata manifesta. Ubi jam adest curvatura, eo est spectandum, ut infan-

tes per unum annum minime situm aut in dorso, aut in abdomine habeant, quo naturae tempus permittatur exsudationem firmandi, quae paullatim vertitur in materiam osseam. Sive symptomata scrophulosa adsint, seu desint, tamen est putandum, dyscrasiam in corpore radices egisse, cui omnibus paratis remediis repugnes.

Prima cura sit, ut infans fortem atque eum facilem ad concoquendum cibum accipiat, et quam saepissime aere salubri utatur, continue adhibita cura antiscrôphulosa.

Specifica remedia commendata sunt multa medicamenta. Horum saluberrima sunt medicamenta ex jodo parata et maxime quidem kali jodatum ac ferrum jodatum forma syrupi. Jodi praeparatis adjungas oleum jecoris aselli, quod apud infantes debiles brevi tempore optimum affert eventum. Quae duo remedia plerisque in casibus sufficiunt; itaque non est, cur transeas ad minus utilia, aut magis dubia medicamenta, ut ad barytam muriaticam, quamquam praecipue est commendata ab doctissimo illo viro Hufeland; ad cuprum ammoniato-muriaticum atque alia. Praeterea sunt balnea salina valde probanda, ut Wittekind, Koesen, Kreuznach, quae balnea propter copiam salis matris alcalini saepissime mirabiles exserunt effectus. Sin balneorum illorum occasio deest, aegrotis balneis quoque e malto hordei, aut herbis aromaticis paratis uti licet.

Circa affectionem localem prima regula ea est, ut quamcunque curam orthopaedicam omittas, quia aegrotos tantum celerius tradit morti. Morbo ineunte, prius-

LITTERATURA.

Pott in chir. Works. London 1779. Vol. III, pag. 349.

Copland, Beobacht. üb. d. Sympt. u. Behandl. d. krankhaft. Rückgrathes. Leipzig 1819.

Delpech, traité de l'orthomorphie. A. d. Franz. Weimar 1830.

Nichet in Gaz. méd. 1835. No. 34. 35.

Schmidt's Jahrbuch. T. XIII, pag. 309.

Nélaton, Thèse sur l'affect. tuberculeuse des os. Schmidt's Jahrb. T. XVI, pag. 26.

Chelius, Chirurgie.

Stiebel, Beiträge etc. Frankf. 1823.

Piorry, Diagnostik etc. T. III, pag. 336.

VITA

Ego, Richardus Augustus Kraft, confessioni addictus evangelicae, die XVIII. m. Martii anni h. s. XXXI. Rosslebiae natus sum patre Augusto, matre Guilelma e gente Stolziana, quos parentes adhuc vivos summa cum pietate veneror.

Puer decem annorum scholam adii monasterii Donndorpiensis rectore Steinicke, quo loco tres per annos sum versatus. Anno h. s. XLIV. in scholam Rosslebiensem discessi, quae etiamnunc floret sub auspiciis rectoris Cl. Anton atque aliorum virorum doctissimorum, quibus omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Exeunte anno h. s. XLIX testimonio maturitatis instructus universitatis litterarum Halensis civibus a rectore magnifico Ill. Meier adscriptus sum et per

tria semestria hosce viros Illustrissimos, Clarissimos, Experientissimos disserentes audivi:

Bernhardy de litteratura graeca;

Erdmann de logice et psychologia;

Beat. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia;

de Schlechtendal de botanice;

Burmeister de zoologia;

Beat. Marchand de physice;

D'Alton et Volkmann de anatomia;

Beat. Steinberg de chemia anorganica;

Beat. Germar de mineralogia.

Praeterea exercitationes in cadaveribus rite secandis duce D'Alton frequentavi.

Ineunte semestri aestivo anni h. s. LI Lipsiam me contuli, ubi per tria semestria his interfui virorum Illustrissimorum, Clarissimorum, Experientissimorum scholis:

E. H. Weber de physiologia;

Radius de pharmacologia;

Kuehn de chemia organica;

Clarus jun. de pathologia et therapia generali;

Carus de anatomia comparativa;

Guenther de chirurgia, aciurgia;

Wunderlich de pathologia et therapia speciali;

Bock de anatomia pathologica;

Coccius de ophthalmologia.

Scholas clinicas frequentavi ducibus Guenther, Wunderlich, Joerg, Coccius, sicuti duce Guenther cursum operationum.

Sub finem anni superioris litterarum universitatem Jenensem petii, ubi scholis clinicis Ill. Ried et Ill. Siebert interfui.

Ineunte semestri h. a. aestivo musarum sedem Berolinensem adii et rectore magnifico Ill. Stahl civibus academicis adscriptus, in album facultatis medicae ab Ill. Ehrenberg, decano maxime spectabili, relatus sum. Scholam clinicam Ill. Busch frequentavi atque insuper disserentes audivi Ill. Casper de medicina forensi, Exp. Credé de arte obstetricia et de morbis mulierum.

Quibus viris omnibus, de me summopere meritis, gratias ago maximas et in sempiternum habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Unica causa mali Pottii puerili aetate est scrophulosis.
2. Venaesectionem in typho sanando rejiciendam arbitror.
3. Sectio alta aliis methodis cystotomiae praestat.
4. Secundinis cessantibus methodus exspectativa reprobanda est.